



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia XXXVIII. Habita ad populum in basilica beati Clementis martyris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

tione. Ecce quotidiana hostia illa cum elemosynis & lacrymis missa legatio, quantam cum Rege veniente gratia pacem fecit. Relinquat ergo omnia, qui potest. Qui autem relinquere omnia non potest, cum adhuc longè est rex, legationem mittat, lacrymarum, elemosynarum, hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit quia portari non possit iratus. Quòd adhuc moram facit venire, legationem pacis sustinet. Venisset jam namque si vellet, & cunctos suos adversarios trucidasset. Sed & quam terribilis veniet indicat, & tamen ad veniendum tardat, quia non vult invenire quos puniat. Reatum nobis contemptus nostri denunciat, dicens: [Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.] & tamen sperandae salutis remedium confert; quia qui per iram non potest ferri, per postulatam pacis vult legationem placari. Lavate ergo, fratres charissimi, lacrymis maculas peccatorum, elemosynis terгите, factis hostiis expiate. Nolite possidere per desiderium, quae adhuc per usum minimè reliquistis. Spem in solo Redemptore figite, ad aeternam patriam mente transite. Si enim nil in hoc mundo jam amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis. Ipse nobis gaudia desiderata concedat, qui nobis aeternae pacis remedia contulit, Jesus Christus Dominus noster: qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Lectionis sancti Evangelij secundum
Matthaeum.

Cap. 22. a

In illo tempore: Loquebatur Iesus principibus sacerdotum & Pharisaeis in parabolis, dicens: Simile est regnum calorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo: & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & volebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicitis invitatis, Ecce prandium meum paravi, tauri mei & alutia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliosis affectis occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptia quidem parata sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptia discumbentium. Intravit autem rex ut videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intravisti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus ejus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.



HOMILIA XXXVIII.

Habita ad populum in basilica beati Clementis martyris.

Textum lectionis Evangelicae, fratres charissimi, volo, si possum, sub brevitate transcurrere, ut in fine ejus valeam ad loquendum largius vacare. Sed querendum prius est, an haec apud Matthaeum ipsa sit lectio, quae apud Lucam sub appellatione caenae describitur. Et quidem sunt nonnulla quae sibi dissona esse videntur: quia hic prandium, illic caena memoratur: hic qui ad nuptias non dignis vestibus intravit, repulsus est; illic nullus qui intrasse dicitur, repulsus esse perhibetur. Quia ex re rectè colligitur, quòd & hic per nuptias praesens Ecclesia, & illic per caenam aeternam & ultimum convivium designatur: quia & ad hanc nonnulli exituri intrant, & ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exiit. At si quis fortè contendat, hanc eandem esse lectionem, ego melius puto, salvà fide, alieno intellectui cedere, quam contentionebus deservire: quoniam & intelligi congruè forsitan potest, quia de projecto eo qui cum nuptiali veste non venerat, quod Lucas tacuit, Matthaeus dixit. Quòd verò per illum caena, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam vel hoc nostrae intelligentiae obfistit: quia cum ad horam nonam apud antiquos quotidie prandium fieret, ipsum quoque prandium caena vocabatur. Saepè autem jam me dixisse meminì, quòd plerumque in sancto Evangelio regnum caelorum praesens Ecclesia nominatur. Congregatio quippe justorum, regnum caelorum dicitur. Quia enim per Prophetam Dominus dicit: *Caelum mihi sedes est*; & Salomon ait: *Anima justii sedes est sapientiae*; Paulus etiam dicit, *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*: liquidò colligere debemus, quia si Deus sapientia, anima autem justii sedes sapientiae, dum caelum dicitur sedes Dei, caelum ergo est anima justii. Hinc per Psalmistam de sanctis praedicatoribus dicitur: *Caeli enarrant gloriam Dei*. Regnum ergo caelorum est Ecclesia justorum: quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quòd ad superna suspirant, jam in eis Dominus quasi in caelestibus regnat. Dicatur ergo: [*Simile est regnum calorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*] Jam intelligit charitas vestra, quis est iste rex, regis filij pater: ille nimirum, cui Psalmista ait: *Deus judicium tuum regi da. & justitiam tuam filio regis.* [*Qui fecit nuptias filio suo.*] Tunc enim Deus pater Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanae naturae conjunxit, quando Deum ante saecula, fieri voluit hominem in fine saeculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet ista conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei & hominis redemptoris nostri Jesu Christi ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas vitamus. Apertius ergo atque securius dici potest, quia in hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quòd ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis Virginis, hujus sponsi thalamus fuit. Unde & Psalmista dicit: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, quia ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exiit. Misit ergo servos suos ut ad istas nuptias amicos invitarent. Misit semel, misit iterum; quia incarnationis Dominicae praedicatorum, & prius

Luc. 14. c

Isai. 66.
1. rov. 12.
1. Cor. 1. c

Psal. 18.

Ps. 71. a

Psal. 18.

Prophetas, & postmodum A postolos fecit. Bis itaque servos ad invitandum misit: quia incarnationem Unigeniti & per Prophetas dixit futuram, & per Apostolos nuntiavit factam. Sed quia hi qui prius invitati sunt, ad nuptiarum convivium venire noluerunt, in secunda invitatione jam dicitur: [*Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.*] Quid in tauris vel altilibus, fratres charissimi, nisi novi ac veteris Testamenti Patres accipimus? Quia enim vulgo loquor, etiam ipsa me necesse est verba Evangelicæ lectionis explanare. Altilia enim faginata dicimus: ab eo enim quod est alere, altilia quasi altitia vocamus. Cùm verò in lege scriptum sit: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* accepta tunc iustis licentia fuerat, ut Dei suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, eosque jure gladij ferirent. Quod in novo proculdubio Testamento compescitur, cùm per semetipsam Veritas prædicat, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Qui ergo per tauros, nisi Patres Testamenti veteris significantur? Nam dum ex promissione legis acceperant quatenus adversarios suos odij retributione percuterent, ut ita dicam, quid aliud quàm tauri erant, qui inimicos suos virtutis corporeæ cornu feriebant? Quid verò per altilia, nisi Patres Testamenti novi figurantur? Qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, æternis desiderijs innitentes, ad sublimia contemplationis suæ penitus sublevantur. In imo quippe cogitationem ponere, quid est aliud quàm quædam ariditas mentis? Qui autem intellectu caelestium, jam per sancta desideria de supernis delectationis intimæ cibo pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine faginari Propheta concupiscit, cùm dicebat: *Sicut adipem & pinguedinem repletur anima mea.* Quia ergo prædicatores Dominicæ incarnationis missi, persecutionem ab infidelibus, & prius Propheta, & postmodum sancti Apostoli pertulerunt, invitatis & venire nolentibus dicitur: [*Tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.*] Ac si apertius dicatur: Patrum præcedentium mortes aspiciite, & remedia vitæ vestræ cogitate. Notandum verò quòd in priori invitatione nil de tauris & altilibus dicitur, in secunda autem jam tauri & altilia mactata esse memorantur: quia omnipotens Deus cùm verba ejus audire nolumus, adjungit exempla, ut omne quod impossibile credimus, tantò nobis ad sperandum fiat facilius, quantò per hoc transisse jam & alios audimus. Sequitur: [*Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò in negotiationem suam.*] In villam quippe ire, est labori terreno immoderatè incumbere; in negotiationem verò ire, est actionum secularium lucris inhare. Quia enim alius intentus labori terreno, alius verò mundi hujus actionibus deditus, mysterium incarnationis Dominicæ pensare, & secundum illud vivere dissimulat, quasi ad villam vel negotium pergens, venire ad regis nuptias recusat. Et plerumque, quod est gravius, nonnulli vocantis gratiam non solum respuunt, sed etiam persequuntur. Unde & subditur: [*Reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliosos affectos occiderunt. Sed rex ista cognoscens, missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.*] Homicidas perdidit, quia persequentes interimit. Civitatem eorum igni succendit; quia illorum non solum animæ, sed & caro quoque in qua habitaverant, æternâ gehennæ flammâ cruciatur. Missis verò exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne judicium per angelos exhibetur. Quid namque sunt illa Angelorum agmina, nisi exercitus Regis nostri? Unde & idem rex Dominus Sabaoth dicitur. Sabaoth quippe exercitus

Levit. 19.
Mat. 5.
Deut. 13.

Mat. 5:

Psal. 62. c

A interpretatur. Ad perrendos ergo adversarios suos exercitum mittit; quia nimirum vindictam Dominus per Angelos exercet. Cujus vindictæ potentiam tunc nostri patres audiebant, nos autem jam cernimus. Ubi sunt enim superbi illi Martyrum persecutores? Ubi illi qui contra conditorem suum cervicem cordis erexerant; & de hujus mundi gloria mortifera tumbant? Ecce jam mors Martyrum floret in fide viventium, & hi qui contra illos de crudelitate sua gloriati sunt, nequaquam ad memoriam nostram veniunt vel in numero mortuorum. Rebus ergo cognoscimus, quod in parabolis audivimus. Sed is qui invitentem se contemni conspicit, regis filij sui nuptias vacuas non habebit. Ad alios mittit, quia etsi apud aliquos laborat, quandoque tamen sermo Dei inventurus est ubi requiescat. Unde & subditur: [*Tunc ait servis suis: Nuptie quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.*] Si in scriptura sacra vias actiones accipimus, exitus viarum intelligimus defectus actionum: quia illi plerumque facile ad Deum veniunt, quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur. Sequitur: [*Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptia disjunctum.*] Ecce jam ipsa qualitate convivantium aperte ostenditur, quia per has regis nuptias presens Ecclesia designatur, in qua cum bonis & mali conveniunt. Permixta quippe est diversitate filiorum: quia sic omnes ad fidem generat, ut tamen omnes per immutationem vitæ ad libertatem spiritalis gratiæ culpis exigentibus non perducatur. Quousque namque hic vivimus, necesse est ut vitam præsentis sæculi permixti pergamus. Tunc autem discernimur, cùm pervenimus. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in caelo: & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Hac autem vita quæ inter caelum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit: quos tamen sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernit. Si ergo boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerare malos debetis. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam suam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exerceat. Sic in tritura aræ grana sub paleis premuntur: sic flores inter spinas oriuntur, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo: sed unus horum electus est, alter reprobus fuit. Tres filios Noë arca continuit: sed duo ex his electi sunt, & unus reprobus fuit. Duos Abraham filios habuit: sed unus electus est, alter reprobus fuit. Duos Isaac filios habuit: sed unus electus est, alter reprobatus. Duodecim filios habuit Jacob: sed ex his unus per innocentiam venditus est, alij verò per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim Apostoli sunt electi: sed unus in his admixtus est qui probaret, undecim qui probarentur. Septem sunt diacones ab Apostolis ordinati: sed sex in fide recta permanentibus, unus exitit auctor erroris. In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Ante acta itaque tempora, fratres charissimi, ad mentem reducite, & vos ad malorum tolerantiam roborate. Si enim electorum filij sumus, restat necesse est ut per eorum exempla gradiamur. Bonus enim non fuit, qui malos tolerare recusavit. Hinc namque est quòd de semetipso beatus Job asserit, dicens: *Frater fui draconum, & socius scorpionum.* Hinc *Iob. 30. d.* per Salomonem sponsi voce sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* *Cant. 2. b.* Hinc ad Ezechielem Dominus dicit: *Fili hominis, & c. 2. b.* *increduli & subversores sunt recum, & cum scorpionibus*

Gen. 3.

Gen. 6. b

Gen. 21.

Gen. 27.

Gen. 37.

Gen. 6. g

E

pionibus habitas. Hinc Petrus beati Lot vitam glorificat, dicens: *Et iustum Lot oppressum à nefandorum injusta conversatione eruit: aspectu enim & auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Hinc Paulus discipulorum vitam & laudat & roborat, dicens: *In medio nationis prava & perversa, inter quos luceis sicut luminaria in mundo, verbum vite continentes.* Hinc Joannes Pergami Ecclesia attestatur, dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satana, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Ecce, fratres charissimi, pene omnia percurrere cognoscimus, quia bonus non fuit, quem malorum pravitas non probavit. Ut enim ita loquat, ferrum animæ nostræ nequaquam perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit alienæ lima pravitatis. Terrere autem vos non debet, quòd in Ecclesia & multi mali, & pauci sunt boni: quia arca in undis diluvij, quæ hujus Ecclesie typum gessit, & ampla in inferioribus, & angusta in superioribus fuit: quæ in summitate etiam sua ad unius mensuram cubiti excrevit. Inferius quippe quadrupedia atque reptilia, superius verò aves & homines habuisse credenda est. Ibi lata extitit, ubi bestias habuit; ibi angusta, ubi homines servavit: quia nimirum sancta Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritalibus angusta. Ubi enim bestiales hominum mores tolerat, illic latius finem laxat. Ubi autem eos habet qui spiritali ratione suffulti sunt, illic quidem ad summum ducitur, sed tamen quia pauci sunt, angustatur. *Lata quippe via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui vadunt per eam: & angusta est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Ed autem usque arca angustatur in summis, quousque ad mensuram unius cubiti perducatur: quia in sancta Ecclesia quanto sanctiores quique sunt, tanto pauciores. Quæ in summo ad illum perducitur, qui solus homo in hominibus, & sine alterius comparatione natus est sanctus. Qui juxta Psalmistæ vocem, *factus est sicut passer unicus in adificio.* Tandem ergo magis mali tolerandi sunt, quanto & amplius abundant: quia & in aræ tritura pauca sunt grana quæ servantur horreis, & grandes acervi palearum qui ignibus comburuntur. Sed quia jam largiente Domino, nuptiarum domum, id est, sanctam Ecclesiam intrastis, solerter, fratres, aspiciate, ne aliquid de mentis vestræ habitu rex ingrediens reprehendat. Cum magno enim cordis timore pensandum est quod protinus subditur: *[Intravit autem rex ut videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.]* Quid fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem, baptisma vel fidem dicimus, quis sine baptismo & fide has nuptias intravit? Eo enim ipso foris est, quòd necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem, nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta Ecclesia assitens, fidem habet, sed charitatem non habet. Rectè enim charitas, nuptialis vestis vocatur: quia hanc in se conditor noster habuit, dum ad sociandæ sibi Ecclesie nuptias venit. Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde & Joannes dicit: *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro nobis.* Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certè, fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congradere se sponso & sponsæ ex S. Greg. Tom. I.

A ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes & festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad cælum assumuntur electi. Qua ergo mente hæc spiritalia festa conspiciamus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quæ sola nos speciosos exhibet, non habemus? Sciendum verò est quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet & inferiore vestis textitur: ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, & proximi. Scriptum quippe est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: & proximum tuum sicut teipsum.* Qua in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum:* Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur, *Ex toto:* quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo hæc necesse est ut charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat. Hinc est enim, quòd apud Ezechielem prophetam, portæ ipsius civitatis in monte constitutæ vestibulum duobus cubitis mensuratur: quia nimirum accessus nobis cælestis civitatis non panditur, si in hac Ecclesia, quæ pro eo quod adhuc foris est, vestibulum dicitur, Dei & proximi dilectio non tenetur. Hinc est quòd cortinis tabernaculi intexi coccus bis tinctus jubetur. Vos estis, fratres, vos estis cortinæ tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta cælestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem habet. Quid verò est charitas, nisi ignis? Sed ista charitas esse bis tincta debet, ut tingatur & per amorem Dei, tingatur & per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, ut per contemplationem illius negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, ut tamen contemplationem Dei per ejus amorem relinquat, coccus est, sed bis tinctus non est. Ut ergo charitas vestra bis tinctus coccus esse valeat, & ad amorem se Dei, & ad amorem proximi accendat: quatenus nec ex comparsione proximi contemplationem relinquat Dei, nec plusquam debet inherens contemplationi Dei, comparsionem abiciat proximi. Omnis itaque homo inter homines vivens, sic ad eum anhellet quem desiderat, ut tamen hunc non deserat cum quo currebat: & sic huic adjutorium ferat, ut ab illo nullatenus torpeat, ad quem festinabat. Sciendum quoque est, quòd ipsa dilectio proximi in duobus præceptis subdividitur, cum quidam sapiens dicat: *Omne quod tibi odis fieri, vide ne ipse alteri facias.* Et per semetipsam Veritas prædicat, dicens: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Si enim & quod impendi nobis rectè volumus, hoc aliis impartimur, & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere ipsi devitamus, charitatis jura illæsa servamus. Sed nemo cum quempiam diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. Charitas autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos quos diligit, qui jam & eos diligere à quibus non diligitur, scit. Probari enim charitas per solam odij adversitatem solet. Unde & per semetipsam Dominus dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Ille ergo securus amat, qui propter Deum illum amat à quo se

Marc. 12.

10 corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota

virtute tua; & proximum tuum sicut teipsum. Qua

in re notandum est, quia in dilectione proximi men-

sura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges prox-

imum tuum sicut teipsum: Dei autem dilectio nulla

mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Do-

minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota

anima tua, & ex tota virtute tua. Non enim ju-

betur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum

dicitur, Ex toto: quia ille veraciter Deum diligit,

qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo hæc necesse est

ut charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in

nuptiis vestem nuptialem curat. Hinc est enim, quòd

apud Ezechielem prophetam, portæ ipsius civitatis

in monte constitutæ vestibulum duobus cubitis men-

suratur: quia nimirum accessus nobis cælestis civi-

tatis non panditur, si in hac Ecclesia, quæ pro eo

quod adhuc foris est, vestibulum dicitur, Dei &

proximi dilectio non tenetur. Hinc est quòd corti-

nis tabernaculi intexi coccus bis tinctus jubetur.

Vos estis, fratres, vos estis cortinæ tabernaculi, qui

per fidem in cordibus vestris secreta cælestia velatis.

Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet in-

esse. Coccus quippe ignis speciem habet. Quid ve-

rò est charitas, nisi ignis? Sed ista charitas esse bis

tincta debet, ut tingatur & per amorem Dei, tin-

gatur & per amorem proximi. Qui enim sic amat

Deum, ut per contemplationem illius negligat pro-

ximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est.

Rursum qui sic amat proximum, ut tamen contem-

plationem Dei per ejus amorem relinquat, coccus

est, sed bis tinctus non est. Ut ergo charitas vestra

bis tinctus coccus esse valeat, & ad amorem se Dei,

& ad amorem proximi accendat: quatenus nec ex

comparsione proximi contemplationem relinquat

Dei, nec plusquam debet inherens contemplationi

Dei, comparsionem abiciat proximi. Omnis itaque

homo inter homines vivens, sic ad eum anhel-

let quem desiderat, ut tamen hunc non deserat cum

quo currebat: & sic huic adjutorium ferat, ut ab il-

lo nullatenus torpeat, ad quem festinabat. Sciendum

quoque est, quòd ipsa dilectio proximi in duobus

præceptis subdividitur, cum quidam sapiens dicat:

Omne quod tibi odis fieri, vide ne ipse alteri

facias. Et per semetipsam Veritas prædicat, dicens:

Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem

facite illis. Si enim & quod impendi nobis rectè vo-

lumus, hoc aliis impartimur, & quod nobis fieri

nolumus, hoc aliis facere ipsi devitamus, charitatis

jura illæsa servamus. Sed nemo cum quempiam di-

ligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius

ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis

quemlibet amat, sed propter Deum non amat, chari-

tatem non habet, sed habere se putat. Charitas

autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, &

propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter

Deum diligit eos quos diligit, qui jam & eos dilige-

re à quibus non diligitur, scit. Probari enim chari-

tas per solam odij adversitatem solet. Unde & per

semetipsam Dominus dicit: Diligite inimicos ve-

stros, benefacite his qui oderunt vos. Ille ergo secu-

rus amat, qui propter Deum illum amat à quo se

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

CCccc

intelligit non amari. Magna sunt hæc, alta sunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia: sed tamen ista est vestis nuptialis. Quisquis autem hanc recumbens in nuptiis non habet, jam sollicitus metuat, ingrediente rege quando mittatur foras. Ecce enim dicitur: [*Intrauit rex ad nuptias ut videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.*] Nos sumus, fratres charissimi, qui in nuptiis Verbi discumbimus, qui jam fidem in Ecclesia habemus, qui scripturæ sacræ epulis pascimur, qui conjunctam Deo Ecclesiam esse gaudemus. Considerate, rogo, si cum nuptiali veste ad has nuptias venistis, cogitationes vestras sollicita inquisitione discutite. De rebus singulis corda vestra trutinatæ, si jam contra nullum odium habetis, si contra felicitatem alienam nulla vos invidiæ face succenditis, si per occultam malitiam nemini nocere festinatis. Ecce rex ad nuptias ingreditur, & cordis nostri habitum contemplantur, atque ei quem charitate vestitum non invenit, protinus iratus dicit: [*Amice, quomodo hic intrasti non habens vestem nuptialem?*] Mirandum valde est, fratres charissimi, quod hunc & amicum vocat, & reprobat: ac si ei aperitiùs dicat, Amice, & non amice: amice per fidem, sed non amice per operationem. [*At ille obmutuit:*] quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa distinctione ultimæ incerpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientie intus animum accusat. Sed inter hæc sciendum est, quia quisquis hanc vestem virtutis habet, sed tamen adhuc perfectè non habet, ad pij regis ingressum desperare de venia non debet: quia ipse quoque spem nobis per Psalmistam tribuens, dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Sed quia pauca hæc in consolatione habentis & infirmantis diximus, nunc ad eum qui hanc omnimodo non habet, verba vertamus. Sequitur: [*Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus ejus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.*] Ligantur tunc pedes & manus per distinctionem sententiæ, qui modò à pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Vel certè tunc ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligavit culpa. Pedes enim qui visitare ægrem negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere jam ex voluntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur invitè. Bene autem dicitur quod in exteriores tenebras projiciatur. Interiores quippe tenebras dicimus cecitatem cordis, exteriores verò tenebras æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores tenebras mittitur: quia illic invitatus projicitur in noctem damnationis, qui hinc sponte cecidit in cecitatem cordis. Ubi fletus quoque & stridor dentium esse perhibetur: ut illic dentes strideant, qui hinc de edacitate gaudebant: illic oculi defleant, qui hinc per illicitas concupiscentias versabantur: quatenus singula quæque membra supplicio subjaceant, quæ hinc singulis quibusque vitiis subjecta serviebant. Sed repulso uno, in quo videlicet omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, quæ dicitur: [*Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.*] Tremendum valde est, fratres charissimi, quod audivimus. Ecce nos omnes jam vocati per fidem ad cælestis regis nuptias venimus, incarnationis ejus mysterium & credimus & confitemur, divini Verbi epulas sumimus; sed futuro die judicij rex intraturus est. Quia vocati sumus, novimus: si sumus electi, nescimus. Tantò ergo necesse est ut unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, tantò si sit electus ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt, nonnulli verò in bonis quæ inceperunt, minimè persistunt. Alter pœne totam vitam

ducere in pravitate conspicitur, sed juxta finem vitæ à pravitate sua per districtæ pœnitentiæ lamenta revocatur: alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit ad erroris nequitiam juxta finem vitæ declinare. Alius bonum bene inchoat, melius consummat: alius in malis actibus à primæ aetate se exercet, & in eisdem operibus semper seipso deterior consummat. Tantò ergo sibi unusquisque sollicitè metuat, tantò ignorat quod restat: quia quod sæpe dicendum est, & sine oblivione retinendum: [*Multi sunt vocati, pauci verò electi.*] Sed quia nonnunquam mentes audientium plus exempla fidelium, quàm docentium verba convertunt, volo vobis aliquid de proximo dicere, quod corda vestra tantò formidolosius audiant, tantò eis hoc de propinquo sonat. Neque enim res longè antè gestas dicimus, sed eas de quibus testes existunt, eisque interfuisse se referunt, memoramus.

Tres pater meus forens habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt: quarum una Tharsilla, alia Gordiana, alia Emilianæ dicebatur. Uno omnes ardore converse, uno eodemque tempore sacrata, sub distinctione regulari degentes, in domo propria socialiam vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conversatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla & Emilianæ succrescere, & cum solo hic essent corpore, quotidie animo ad æterna transire. At contra Gordianæ animus cœpit à calore amoris intimi per quotidianam decrementa tepescere, & paulisper ad hujus sæculi amorem redire. Crebrè autem Tharsilla dicere Emilianæ forori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram de nostra sorte non esse: perpendo enim quia foras defluit, & cor ad quod propofuit non custodit. Quam curabant blanda quotidie redargutione corripere, atque à levitate morum ad gravitatem sui habitus reformare. Quæ quidem resumebat vulturn subitò gravitatis inter verba correptionis, sed cum ejusdem correptionis hora transisset, transibat protinus & superducta gravitas honestatis, moxque ad leviam verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valde onerosa erat, quæcumque huic mundo dedita non erat. Quadam verò nocte huic Tharsillæ amixæ meæ, quæ inter sorores suas virtute continuæ orationis, afflictionis studiose, abstinentiæ singularis, gravitate vitæ venerabilis in honore & culmine sanctitatis excreverat, sicut ipsa narravit, per visionem atavus meus Felix hujus Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansionem suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta, ad diem pervenit extremum. Et sicut nobilibus feminis virisque morientibus multi conveniunt, qui eorum proximis consolerentur, eadem hora ejus exitus multi viri ac feminae ejus lectulum circumsteterunt, inter quas mater mea quoque adfuit: cum subitò sursum illa respiciens, Jesum venientem vidit, & cum magna animadversione cœpit circumstantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima à carne soluta est: tantaque subitò fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illic auctorem suavitatis venisse. Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longo orationis usu in cubitis ejus & genibus, camelorum more, inventa est obdurata cutis excrevisse, & quid vivens ejus spiritus semper egerit, caro mortua testabatur. Hæc autem gesta sunt ante Dominici Natalis diem. Quo transacto, mox Emilianæ forori suæ per visionem nocturnam visionis apparuit, dicens: Veni, ut quia Natalem Dominicum sine te feci, sanctum Theophaniæ diem jam tecum faciam. Cui illa pro-

17. 1. 8.

L. 4. D. 6. 16

tinus de sororis suę Gordianę salute sollicita respondit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianam cui dimitto? Cui, sicut asserebat, tristis vultu iterum dixit: Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis secuta est, atque ita ut dictum fuerat, ante Dominicę apparitionis diem, eadem molestia ingravescente, defuncta est. Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, ejus pravitas excrevit: & quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectum pravę actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentię, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversę sunt, sed non in uno eodemque studio permanserunt: quia juxta Dominicam vocem, [*Multi sunt vocati, pauci vero electi.*]

Hęc ergo dixi, ne quis in bono jam opere positus, sibi vires boni operis tribuat, ne quis de propria actione confidat: quia etsi jam novit hodie qualis sit, adhuc cras quid futurus sit nescit. Nemo ergo de suis jam operibus securus gaudeat, quando adhuc in hujus vitę incertitudine qui finis sequatur ignorat. Sed quia rem retuli, quę vos ex divina districtione perterruit, aliud adhuc è vicino refero, quod ex divina misericordia, perterrita vestra corda consoletur: quod tamen in sermone alio jam me dixisse meministi, sed vos nequaquam adfuitis.

L. 4. D. 37

Ante biennium frater quidam in monasterium meum, quod juxta beatorum martyrum Joannis & Pauli Ecclesiam situm est, grati conversationis venit: qui diu regulariter protractus, quandoque susceptus est. Quem frater suus ad monasterium non conversationis studio, sed carnali amore secutus est. Is autem qui ad conversationem venerat, valde fratribus placebat: at contra, frater illius longę à vita ejus ac moribus discrepabat. Vivebat tamen in monasterio necessitate potius, quam voluntate. Et cum in cunctis actibus perversus existeret, pro fratre suo ab omnibus æquanimiter tolerabatur. Erat enim levis eloquio, pravus actione, cultus vestibus, moribus incultus: ferre verò non poterat si quisquam illi de sancti habitus conversatione loqueretur. Facta autem fuerat vita illius fratribus visu gravis, sed tamen, ut dictum est, pro fratre sui gratia erat cunctis tolerabilis. Aspernabatur valde si quis sibi aliquid de pravitate suę correctione loqueretur. Bona non solum facere, sed etiam audire non poterat. Nunquam se ad sanctę conversationis habitum venire, jurando, irascendo, deridendo, testabatur. In hac autem pestilentia, quę nuper hujus urbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine, perductus est ad mortem. Cumque extremum spiritum ageret, convenerunt fratres, ut egressum illius orando protegerent. Jam corpus ejus ab extrema fuerat parte præmortuum, in solo tantummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tantò pro eo cęperunt enixius orare, quantò eum jam videbant sub celeritate discedere. Cum repente cępit eisdem fratribus assistentibus adniti quo poterat, clamare, & orationes eorum interrompere, dicens: Recedite, recedite: ecce draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam devorare me non potest. Caput meum jam in suo ore absorbit, date locum ut me amplius non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad devorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cęperunt ei dicere: Quid est quod loqueris, frater? Signum tibi sanctę crucis imprime. Respondebat ille ut poterat, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terra cum lacrymis cęperunt pro creptione illius vehementius orare. Et ecce subito cępit melioratus æger quibus valebat vocibus

S. Greg. Tom. I.

A exultare, dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me ad devorandum acceperat, fugit: orationibus vestris expulsus, stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia converti paratus sum, & sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut jam dictum est, ab extrema corporis fuerat parte præmortuus, reservatus ad vitam, toto ad Deum corde conversus est. Longis & continuis in conversatione eadem flagellis eruditus, atque ante paucos dies excrecente corporis molestia defunctus est. Qui jam moriens draconem non vidit, quia illum per cordis immutationem vicit. Ecce fratres mei, Gordiana, quam superius dixi, à sanctimonialis habitus excellentia corruiat ad pœnam, & frater hic, de quo ista narraui, ab ipso mortis articulo rediit ad æternam vitam. Nemo ergo scit quid de se in occultis Dei judiciis agatur; quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Quia ergo nulli de se certum est electum se esse, restat ut omnes trepident, omnes de sua actione formident, omnes in sola divina misericordia gaudeant, nullus de suis viribus præsumat. Est qui perficiat fiduciam nostram, ille scilicet qui in se dignatus est assumere naturam nostram, Jesus Christus, qui cum Patre vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Lectio sancti Evangelij secundum Lucam.

IN illo tempore: Cum appropinquaret Iesus Hierusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses, & tu, & quidem in hac die tua, quę ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tue. Et ingressus templum, cępit ejicere vendentes de illo & ementes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

HOMILIA XXXIX.

Habita ad populum in basilica beati Joannis, quę dicitur Constantiniana.

Lectionem sancti Evangelij, brevi, si possum, volo sermone percurrere: ut illis in ea prolixior detur intentio, qui sciunt ex paucis multa cogitare. Quod à stente Domino illa Hierosolymorum subversio describatur, quę à Vespasiano & Tito Romanis Principibus facta est, nullus qui historiam everfionis ejusdem legit, ignorat. Romani enim Principes denunciantur, cum dicitur: [*Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt.*] Hoc quoque quod additur: [*Non relinquent in te lapidem super lapidem;*] etiam ipsa jam ejusdem civitatis transmigratio testatur: quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dominus crucifixus, prior illa Hierusalem, ut dicitur, funditus est everfa. Cui ex qua culpa everfionis suę

CCCC ij